BIBLIA LATINA, BD. 1

Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh.

Seite 24v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dominus meus ante servum suum. et ego sequar paulatim vestigia eius. sicut videro posse parvulos meos. donec veniam ad dominum meum in seyr. Respondit esau. Oro te. ut de populo qui mecum est. saltem socii remaneant vie tue. Non est inquit necesse. Hoc uno tantum indigeo. ut inveniam graciam in conspectu domini mei. Reversus est itaque eodem die esau. itinere quo venerat in seyr. Et iacob venit in socoth. ubi edificata domo et fixis tentoriis. appellavit nomen eius sochot. i. tabernacula. Transivitque in salem urbem sicimorum. que est in terra chanaan. Postquam regressus est de mesopotamia syrie. et habitavit iuxta oppidum. Emitque partem agri. in quo fixerat tabernaculum. a filiis emor patris sichem. c. agnis. et erecto ibi altari invocavit super illud fortissimum deum israel. XXXIIII

xxxiiii Egressa est autem dina filia lye. ut videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset sichem filius emor evei. princeps terre illius. adamavit eam. et rapuit et dormivit cum illa vi opprimens virginem. et conglutinata est anima eius cum ea. tristemque blandiciis delinivit. et pergens ad emor patrem suum. Accipe inquit michi puellam hanc coniugem. Quod cum audisset iacob. absentibus filiis et in pastu pecorum occupatis. siluit donec redirent. Egresso autem emor patre sichem. ut loqueretur ad iacob. ecce

filii eius veniebant de agro. Auditoque quod acciderat. irati sunt valde. eo quod fedam rem esset operatus in israel. et violata filia iacob rem illicitam perpetrasset. Locutus est itaque emor ad eos. Sichem filii mei adhesit anima filie vestre. Date eam illi uxorem. et iungamus vicissim connubia. Filias vestras tradite nobis. et filias nostras accipite. et habitate nobiscum. Terra in potestate vestra est. exercete negociamini et possidete eam. Sed et ~~patrem~~ sichem ad patrem et ad fratres eius ait. Inveniam graciam coram vobis. et quecumque statueritis dabo. Augete dotem. munera postulate. libenter tribuam quod petieritis. tantum date michi puellam hanc uxorem. Responderunt filii iacob. sichem et patri eius in dolo. sevientes ob stuprum sororis. Non possumus facere quod petitis. nec dare sororem nostram homini incircumciso. quod illicitum et nepharium est apud nos. Sed in hoc valebimus federari. si esse volueritis nobis similes. et circumcidatur in vobis omne masculini sexus. Tunc dabimus et accipiemus mutuo filias nostras ac filias vestras. et habitabimus vobiscum. erimusque unus populus. Si in autem circumcidi nolueritis. tollemus filiam nostram. et recedemus. Placuit oblacio eorum emor et sichem filio eius. Nec distulit adolescens. quin statim quod petebant expleret. Amabat enim puellam valde. et ipse erat inclitus in omni domo patris sui. Ingressique portam urbis locuti sunt populo